

Præbiter Cardin. Ego C. SS. Cosmæ, & Damiani  
Diac. Cardin. Ego Gerardus Diac. Cardin. Ego  
Bernardus S. Mariæ novæ Diac. Cardin. Ego Gre-  
gorius S. Georgii ad Velum aureum Diac. Cardin.  
Ego L. SS. Sergii, & B. Diacon. Cardin. Ego R.  
S. Marthæ Diac. Cardin. Datum Laterani per ma-  
num Moyfi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus  
Lateranensis Canonicus VII. id. aprilis Indiæ. X.,  
Incarn. Dominicæ anno MCXCII., Pontificatus vero  
D. Cœlestini P. III.

(1) In alio exempl. de Olico.

(2) In alio exemplari Mebio.

*Donatio Castri de Belmonte (nunc regio intra  
fines civitatis Niciæ) Communi Cæsareæ.*

83

MCXCII.

Anno Domini Incarnationis millesimo centesimo  
nonagesimo secundo, indictione X., die Do-  
minica X. exeuntis maii in loco Belmontis præsen-  
tia testium, quorum nomina subter leguntur. Do-  
mini de Belmonte, Bertoldus de Marrana, Guliel-  
mus Boccaccius, Oglerius Gallus, Surleonus, Do-  
minus Guido de Brune, Vermus de Marrana, An-  
ricus Mascarus, Ugo de Gasco, Gualla coram po-  
pulo ejusdem loci in plena concione fecerunt do-  
nationem Bonello de Rubeis Consuli Cæsareæ no-  
mine, & vice Communis Cæsareæ de castro Bel-  
montis cum suis pertinentiis honore, & jurisdictione  
sua quod castrum, & curiam cum prædictis acces-  
sionibus prædicti domini promiserunt custodire, &  
salvare ad honorem suum, & ad honorem, & sta-  
tum, & utilitatem Communis Cæsareæ, ita quod  
nec de feudo debent ipsum castrum, & prædictas  
pertinentias alicui personæ vendere, permutare pi-  
gnori, vel ullo alio modo alienare sine parabola  
communis consilii civitatis Cæsareæ. Et insuper ju-  
raverunt ad Sacra Dei Evangelia sic attendere, &  
ratum, ac firmum tenere scilicet Alexius Guaragi-  
us, Arnaldus Gastaldus, Gandulfus de Gajano, Arnau-  
dus Manfredus, Ubertus Bononus, Ubertus de Axen-  
derio, Petrus de Gajano, Vermus vetulus, Johan-  
nes de Bono, Obertus de Bulgaro, Petrus Realdus,  
Singultus de Gajano, Anricus Ruminascus, Jacobus  
de Ghisulpho, Belmont, Ruffinum de Vallono,  
Vermus de Anfuma, Aribaldus, Petrus Ferrarius,  
Rubaldus Segnorinus, Vermus de Monte, Vermus  
Batalia, Obertus de Lorco, Amicus Bajonus, Ogle-  
rius Alamanus, Vermus Ferrarius, Jacobus de Zer-  
bo Ghisulfus, Petrus Zenevra. Prædicti Domini cum  
prædictis hominibus hanc chartam fieri rogaverunt  
ut supra. Interfuerunt testes rogati Otto Lanza ve-  
tula, Vermus de Monte, Obertus de Lorco.

*Pacta inter D. Henricum, & Pontium MM.  
de Ponzono, & Commune Aquarum.*

84

MCXCII.

Anno Domini Incarnationis MCXCII. ind. X.  
die Dominica V. calendas octobris. In capi-  
tulo Canonice de Aquis consilio pleno, & ideo  
congregato Domino Andrea Uberto Moizo, Jacobo  
Bocazio, Ugone Mantea, & sociis existentibus con-

sulibus Dominus Henricus, & Pontius Marchiones  
de Ponzono confessi sunt, quod Avus eorum D.  
Aleramus, & Avia domina Alaxa, item D. Ugo  
pater eorum, item D. Henricus, & Petrus patrum  
eorum omnes marchiones Ponzoni investiverant con-  
sules Aquenses, & commune cum vexillo de Pon-  
zono de tota sua terra habita, & habenda ec. Item  
eosdem inde investiunt ad præsens asserendo, quod  
licet sui majores non investivissent, ut supra legi-  
tur, tamen ipsi investirent de omnibus ut supra.  
Item confitentur se teneri pluribus stipulationibus  
facere pacem, guerram pro communi Aquensi con-  
tra omnes homines, excepto Imperatore, de Pon-  
zono, & cætera sua terra, pacem, nec guerram,  
nec trevam, nec recreutam sine communis Aquensis  
voluntate nunquam alicui facturos. Castrum Pon-  
zoni, & reliquam terram suam guarritam, seu mu-  
nitam, neque scaritam Aquensibus pro pace, &  
guerra facienda omnibus ut supra legitur nunquam  
vetituros. Boscatum, pascaticum, pedagium per  
omnem terram suam donant, tradunt, & perpetuo  
concedunt omnibus Aquensibus. Toto tempore Guerra  
cum duobus adminis militibus, & pacis tempore  
saltem uno mense, nisi voluntate Consulium, & Con-  
silio steterit Aquis, stare promittunt, stipulantur, & pro  
cunctis Aquensium negotiis expendere quantum do-  
mus quondam Ottonis Sac. Et hoc totum faciunt  
tam pro suo consanguineo D. Petrino quondam Ja-  
cobi, cujus paterni sunt testamentarii tutores, quam  
pro se ipsis. Ibidem consules memorati cum omni  
suo consilio confessi sunt suos priores in feudum  
reddidisse infra scriptis donatariis Ponzonum, & aliam  
terram suam in præsentiarum investiunt istos D.  
Henricum, & Ponzium, & per eos suum consan-  
guineum memoratum de omni terra prædicta. Et  
insuper de civitate Aquis, & tota ejus terra habi-  
ta, & habenda pro pace, & guerra omnibus homi-  
nibus, excepto Imperatore, semper facienda. Præ-  
terea confitentur se teneri jam dictis cunctis mar-  
chionibus facere pacem, & guerram, ut supra con-  
tra omnes homines, nec facere pacem, guerram,  
recreutam sine Marchionibus, nec facere cambium  
aliquod super hominibus pro Marchionibus, neque  
ulla alia occasione, quam super Aquensibus civi-  
bus, & habitatoribus. Ego Petrus Notarius Palatii  
interfui, & inde hanc ec. Ego Ubertus ec. Ego  
Petrus ec. Ego Henricus ec.

*Investitura Ecclesiæ Astensis facta marchioni  
Bonifacio ex MS. capituli Astensis inscripto  
anniversaria n. 104.*

MCXCIII.

85

Instrumento rogato Rodulfo Imperiali notario an-  
no Domini MCXCIII. Indictione II. 13. kal.  
marcias. D. Almosna Astensis Præpositus investit Bo-  
nifacium marchionem Montisferrati de omnibus ter-  
ris, & rationibus, quas Astensis Ecclesia habebat  
in Montecalvo, & in toto pertinente, & ipse Mar-  
chio promittit reducere Ecclesiam Astensem in pos-  
sessionem dictorum castri, & terrarum, quandocum-  
que rectores dictæ Ecclesiæ darent Marchioni lib.  
100. Astenses.